



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

2. Crusta Parietis-Spei longanimitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



Certè, à Spe non debere abesse Timorem, docet Salomon Proverbiorum iv, hoc enunciato: *In Timore Domini fiducia fortitudinis: & filiis ejus erit Spes.* Ecclesiasticus etiam cap, xi. timentes nominatim ad sperandum exhortans: *Qui timetis Dominum sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Iterum cap. xv. *Oculi Domini ad timentes eum.* Confirmat id ipsum S. Augustinus Sermone xv, ad Fratres in Erèmo, ita illos alloquens. *O Spes! tu omnia portare facis dulciter & suaviter. Eia ergo, fratres, hanc amate, hanc tenete, nō tamen sine Timore. Quia qui sperat, nō timet, negligens est: qui autē timet, & nō sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* S. Bernardus quoq; Sermone vii. in Cantica, agens de osculo duorum pedum Domini, docet, Timorē Spei esse copulandum: esse autem etiam periculosum, si se jungantur. Nam *recordatio solius iudicii quæ Timorem parit, in barathrum desperationis precipitat: & misericordie fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Immò, tam est cognatus Spei Timor, ut præclari in Architecturâ Magistri idcirco ipsum Timorem appellerint Murum. Disertè S. Chrysostomus homilia xv. ad populum: *Timor nihil est aliud quàm Murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multa sunt ubique insidia.* Et S. Cyrillus lib. secundo in Isaiam Prophetam: *Tenendum est, animam Dei Timore velut Muro obseptam fortem esse, & quodammodo invictam & vires eorum, qui manus cum ea conserunt, expugnata.*

## ARTICULUS II.

CRUSTA

*Parietis Spei.*

LONGANIMITAS.

**A**LTERA In crustatione obducitur Spes-Parietis Longanimitate. Spes quæ differtur, affligit animam: et

omni-



omninò deiiciat, Longanimitate perficitur. Hanc Cru-  
 scam Spei appingit S. Cyprianus de bono Patientiæ  
 hunc in modum differens: *Tolerandum & perseverandum*  
*est, fratres dilectissimi, ut ad Spem veritatis, & libertatis admissi,*  
*ad veritatem & liberalitatem ipsam perveniamus. Quia hoc*  
*ipsum, quod Christiani sumus, fidei & Spei res est. Ut autem fides*  
*& Spes ad fructum suum possint pervenire Patientia opus est.*  
*Cum enim quod non videmus, speremus, per Patientiam illud*  
*ipsum expectamus: propterea, expectatio, quæ Longanimitatis est,*  
*& Patientia necessaria est, ut id quod esse cœpimus, impleamus;*  
*& quod credimus ac speramus, DEO præstante, capiamus.*

ARTICULUS III.

VELVM

*Parietis Spei.*

HUMILITAS.

PRÆTER Incrustationem duplicem, in Principum au-  
 lis, templisque vestiuntur parietes, vel picturâ  
 penicillo obducta, vel precioso & exotico ligno,  
 vel peristromatis & aulæis: hæ sunt parietum vela-  
 mina: quorum loco in Domo Sapientiæ quadrupli-  
 cem Spei parietem vestit HUMILITAS: quâ nisi is  
 obducatur, & quod in eo adhuc inane, impleatur, vel  
 obveletur, facillimè ventis superbiæ australibus, borea-  
 libusque corrumpitur. Notavit id D. Chrysostronus, quî  
 homilia XXI. in Genes. Oportet quidem, inquit, in virtute, &  
*rectè factis Spem salutis habere. non tamen idcirco magnificè te*  
*circumspicere, & multum de te sentire; sed tunc magis humilem*  
*& modestum esse, cum magnas virtutum diuitias congesserimus.*  
*Sic enim & ipsi collectas divitias custodiemus, & gratiam DEI*

Ll 2

nobis